



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Hortulus Biblico-Moralis Et Asceticus

Pappus von Tratzberg, Franz

Ulm, 1725

Fasciculus XLVIII. Doctrinarum Moralium & Asceticarum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61252](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61252)

perterreatur cor tuum. v. 19. capitis cit. Scinde cum eo vestimenta, non quidem externa, sed interna, passiones videlicet inordinatas cultro mortificationis, & defleas delicta tam propria, quam aliena. His perfunctus audies cum eo: *Colligam te ad Patres tuos, & colligeris ad sepulchrum tuum in pace.* loc. citatō.



FASCICULUS XLVIII.

Doctrinarum Moralium & Asceticarum,

Doctrina I.

Desumpta ex cap. 23. lib. 4. Regum, in quo describitur Josia Zelus in abolendis Idolis, celebratio Phase &c.

N. 323. *Considera:* **J**osiam, priori in capite jam laudatum Regem, non prius ad celebrandum *Phase* admonuisse Populum, antequam contrivisset statuas, succendisset lucos, replevisset eorum loca ossibus mortuorum, destruxisset Excelsa, destructa combussisset, & combusta redegisset in pulverem, occisis etiam *Excelsorum* Sacerdotibus. Ita Christianos non antea ad celebrandum Pascha animat Ecclesia, quam per veram Pœnitentiam non tantum Idola peccatorum contriverint, sed etiam per efficacis propositum, occasiones malas fugiendi, ea in pulverem redegerint. Corporalis Christi Resurrectio Christiani spiritualiter resurgentis typus est; & hinc asserit Apostol. Rom. 6. *Ut quomodo Christus resurrexit à mortuis, ita & nos in novitate vite ambulemus.* Est autem in comperto: Angelo Resurrectionem Christi indicanti non suffecisse, quod dixerit: *surrexit.* Sed protinus ab eo auditum: *non est hic.* Sic pariter Christiano non satis est, à lapsu resurrexisse, detestandō peccatum jam perpetratum, sed necesse est: sepulchrum occasionis malæ egredi, à perversis sociis sejungi, suspecta vitare loca &c. Moyses divinō æstuans zelō Exodi 32. prius in Idolum, quam in peccantes Israelitas deserviit, ut sic peccati extirparet radicem, futurum, non dubius; Populi Pœnitentiam Deo non placitaram, si occa-

occafio peccandi proxima remaneret; quamdiu enim sub carbonibus gliscit ignis, incendio non erit satis præcautum. Nazaræi etiam ab acinis abstinere iussi sunt, ne ab illis ad uvas, ab uvis ad vina, à vinis ad crapulas, & inde ad carnis spurcitas transirent. Christus Dominus Jerosolymæ Templum, animæ Christianæ etiam typum, à profano quæstu ritè purgaturus, non tantum nundinantium personas flagellò, ex funibus factò eiecit, sed & evertit cathedras, & expulit oves, boves & columbas, ut teste illustriss. Cardin. Toletò: *Nulla redeundi videretur esse occasio. Tunc enim malo subvenitur perfectè, quando etiam mali occasio amputatur.* Gentium Doctor longò catalogò describens ærumnas, à se exantlatas, meminit; tribus vicibus se subiisse naufragium, quæ verba expendens Remigius quærit: qui factum, toties naufragatum esse Apostolum? & dubiæ ocius quæstioni respondens ait: *qui sepius navigiò vehebatur per mare, non est mirum: quòd toties naufragium passus sit.* Mare dici poterit occasio propinqua peccandi; hanc qui frequenter adierit, certo peccati naufragio sese exponet. Hinc Christiane Lector: *Phase Domini ritè celebraturus, te geras instar Josiæ, non dolendò tantum de peccatis, sed adedò omnem peccandi occasionem vitandò, ut audiatur de te, quod de illo piissimo Rege v. 25. citati cap. dicitur: Similis illi non fuit, qui reverteretur ad Dominum in omni corde suo, & in tota anima sua, & in universa virtute sua &c.* Nihil prorsus in anima tua tanquam in Templo Dei relinquant: nisi sepulchrum hominis Dei. Memoriam videlicet Mortis Christi, & de reliquo in novitate vitæ per sacrum paschale tempus ambula.

Doctrina 2.

Desumpta ex cap. 24. lib. 4. Regum, in quibus describitur Joachimi in Babyloniam abductio, dura captivitas, Sedeciâ succedente.

Confidera: **M**ysteriò non carere, ad Doctrinam asceticam aptissimi. N. 324.
 mò: quòd teste S. Scripturâ cap. 22. Nabuchodonosor Jerosolymæ Urbis potitus, omnes incolas in servitum diris-
 simam abduxerit, exceptis solis pauperibus; sic namque soli pauperes
 libertate spiritus, & visione Pacis, quæ dicitur Jerosolyma, perfruuntur;
 dum divites omnes miserrimam agunt servitum. Cornelius Jansen.
 considerans verba Christi dicentis: *Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum*

est Regnum Cælorum, ait: Pauperes spiritu etiam in hac vita jam re ipsa regnant, Regnò planè cœlesti longè feliciùs, quàm omnes Reges terræ: Hi enim ut plurimum verius gravissimam ferunt servitutem, quàm regnent; multos enim patiuntur Tyrannos, discruciatu ab avaritia, irâ, livore, cupiditate bonorum ac vindictæ: at humilis, terrarum facultatum inops, liber est ab huiusmodi curis, & tranquillò semper existens pectore, securè expectat dona cœlestia. Sicut homo nunquam gravi cupidine bibendi vexatus, beatiorem haud dubiè vitam vivit illò, cujus satiandæ siti nulla suppetunt pocula: ita ille, qui nulla opum cupidine cruciatus, inopiam suam æquò fert animò, longè feliciorem se experietur illò, quem etsi ditissimum, pecuniæ tamen augendæ ardor perurit. Pyrrhus Epirotarum Rex, suò non contentus Regnò & opibùs, ad bella Romanis inferenda se præparaverat, cui Cineas legatus ea dissuasurus: & quid agimus, inquit, victis Romanis? Italiâ, reponit Rex, totâ potiemur. Et quid tunc agemus? infert Cineas. Post debellatam Italiam, Siciliam invademus. Ea captâ, quid porrò? Africam nobis adjungemus &c. & quid his omnibus tandem secundante fortunâ captis, agendum restabit? quærit Cineas. Tunc bone vir, inquit Rex, vivemus in otio, compotabimus totis diebùs, & mutuùs colloquiùs nos oblectabimus. At Cineas: & cur hæc quiete, his deliciis, quibùs omnibùs sine bello, cujus fors tam incerta est, nunc frui licet, non fruimur? suasit, sed non persuasit. Diogenes Cyricus ab Alexandro Rege, ejus paupertatem cernente quæsitus: quid rerum peteret, largò munera à se donandus? respondit: *Utri Rex plura deesse autumas? mihine? quid præter hanc tunicam & manticam meam aliud planè non quero? an tibi? qui ut Regno Macedonia alia adjicias, tot discrimini-bus caput tuum objicis, & cujus explenda cupiditati vix totus sufficit orbis? ergo te multò ditior opulentiorque sum.* Socrates si quando forum obiens, magnam rerum venalium rerum copiam intuebatur, in hæc prorumpere solebat verba: *ò quàm multis rebùs non ego!* laudabili ergò paupertate Diis ipsi simillimum se æstimabat, nullâ re egentibus. Quare ò Christiane Lector! si tranquillam, & omnis miseræ servitutis expertem cupis in hac terra vitam vivere, inordinatum habendi affectum abjice. Licet rerum omnium premaris inopiâ, liberum tamen retinere poteris animum: est enim Paupertas teste Senecâ, nulli malum, nisi repugnanti.

Doctri-

Doctrina 3.

Desumpta ex cap. 25. lib. 4. Regum, in quibus describitur Jerosolyma obsidio
& eversio per Nabuzardan facta. Sedecia supplicium. Joachimi exal-
ratio.

Considera: **M**ysterium, Doctrinæ morali accommodum latere sub ^{N. 325.}
hoc, quod S. Scripturâ citatô cap. testetur; Nabuzar-
dan (Principem Coquorum Septuaginta vocant, destruxerit muros Jero-
solymæ urbis, alias invictissimæ. Hic equidem Princeps coquorum teste S.
Greg. M. curæ past. p. 2. admon. 20. Venter est, cujus magnæ cura obse-
quium impenditur à coquis, ut ipse delectabiliter impleatur cibis. Muri Jerusalem
virtutes sunt animæ, ad desiderium superni Patris elevatæ. Coquorum igitur Prin-
ceps muros Jerusalem dejecit, quia dum venter ingluvie extenditur, virtutes ani-
mæ per luxuriam destruantur. Antiquissimus ille hostis, qui teste Joanne
patuit olim ruinæ magnæ, quasi resumptis viribus Arcem illam invi-
ctissimam Christum Dominum oppugnaturus, & ut sperabat expu-
gnaturus, quid quæso moliebatur, nunquid flammæ libidinis pe-
ctori ejus injecit, quales injecerat Davidi, Salomoni & Samsoni,
& mediantibus quibus eos straverat? aut obtulit pecunias, per quas
innumeros alios, virtute munitos corrupit viros? neutro ex his,
etsi fortissimis, usus loquitur. Sed lapides tantum objecit, additis
verbis: si filius Dei es, dic, ut lapides isti panes fiant. Quod debellandi
genus considerans S. Chrysologus Serm. 3. ait; quid est, quod je-
junante Christo Deitatis signa in sola panis promissione perquiri?
& quem Dei filium continuâ significatione jejunii persentit, esse
Dei Filium de provisione panis, de cura ventris desiderat appro-
bare? si Filius Dei es &c. Quare non dixit: si Filius Dei es, dic; ut
homines Angeli, aut aliquid aliud fiant? quia scilicet mediante
gulâ etiam per solum panem Christum à se, quantumvis ipsiusmet
Dei Filius esset, seducendum sperabat: sed delusus à Christo, quem
his armis vincere non valuit, illa in nos debiles convertit, quoti-
dianas fermè victorias cantans. Nec saturatur, nocuisse animæ per
gulam, etiam corpori fatales machinatur insidias per hoc vitium,
sciens illud S. Ambrosii Serm. de Cain & Abel effatum, millenâ ex-
perientiâ probatum esse: *Plurimos gula sua occidit, nullum frugalitas.*
item

item illud Eccles. 37. *In multis escis erit infirmitas.* Nam sicut plenilunii tempore cæsa aut plantata ligna ob humoris abundantiam, à luna tunc causatam vermes generant, à quibus corroduuntur: ita corpus humanum nimia ciborum abundantia pastum morbos gignit, à quibus sensim destruitur, maturè tumulo inferendum. Hinc non ineptè gulam comparaveris piscinæ probaticæ, circa quam Joanne teste cap. 5. *Facebat magna multitudo languentium.* Antiphanes Delius artis medicæ peritissimus dicere consueverat teste Clement. Alex. *Pædag. l. 2.* vel unam hanc esse morborum causam, quam gula vel maximè nostris exposuit temporibus! *Quidquid avium volitat, pulcherrimè asserit Seneca 10. Rhet. quidquid piscium natat, quid serarum discurret, nostris sepelitur ventribus. Quæres nunc: cur subito morimur? quia tot mortibus vivimus.* Quare ò Christiane Lector! si animam tuam à vitiis, corpus verò à morbis securum habere cupis, gulæ vitium ante omnia fuge: aut Dæmon per Nabuzardan coquorum Principem te divinâ gratiâ & sanitate corporis privatum, captivum sistet illi Regi, qui locò sceptri falce dominatur in omnes mortales. Sin verò fueris moderatæ abstinentiæ deditus, tunc post obtentas virtutes & multa merita, atque sanos dies, quos in mundo duces longos, id assequeris à Deo, quod Rex Joachim, modicò pane diu in carcere victitans, assecutus legitur à Rege Babylonæ v. 28. citati cap. *Illum enim eduxit Rex de carcere, & locutus est ei benè, & posuit Thronum ejus super Thronum Regum &c. & mutavit vestes ejus, quas habuerat in carcere, & comedebat Panem semper in conspectu ejus cunctis diebus vita sua.* Quæ vita respectu tui erit tunc vita æterna.



FASCI-